

3

...USII
...TATUS
...PHEMIS

569
169

4169





1. Schon hussij. Joh. i
tract: de Blasphemie,
mij, francoz. 1598.
2. Chytraij. Dav.
prolegomena
in lectionem textus
Evangelistarum,
Rostochij 1569.

3



De regno Christi
CAPITA AD DISPVT-
TANDVM PROPOSITA IN
ACADEMIA LIPSICA,
AB


HENRICO SALMVT
THEOLOGIAE DOCTORE.



AD DIEM XIII. IULII.

ANNO IESV CHRISTI,

M. D. LXIII.



DE REGNO CHRISTI.

PROPOSITIO I.

PRODEST INTELLIGI IN ECCLESIA doctrinam de regno Christi, vt sciamus quæ beneficia præstentur a Christo, & quæ ab eo petenda & expectanda sint, ac uera consolatio in hac ærumnosa uita percipiatur, & ne cogitemus tantum esse mundanum regnum sicut Iudæi somniabant. Quare illam doctrinam breuiter repetemus.

II.

Regnum Christi est, quod filius Dei instituit & conseruat ministerium Euangelij, colligit Ecclesiam, & uere efficax est in credentibus, uiuificat eos uoce Euangelij, regit & sanctificat spiritu sancto, liberat a peccato & morte, exaudit inuocantes, defendit contra tyrannidem diabolorum & organa eorum, & postea resuscitat sanctos ad uitam æternam.

III.

Hæc descriptio ostendit regnum Christi esse spirituale, ac distribui in eo

A 2 bona

bona spiritualia & æterna, ut sunt remissio peccatorum, iustificatio, donatio spiritus S. promissio quod Deus propter Christum exaudiat inuocantes, liberatio a tyrannide diaboli, a peccato & morte, & resuscitatio ad uitam æternam.

IIII.

De hoc regno & beneficijs illius inquit Paulus Roma. 14. Regnum Dei non est esca aut potus, sed iusticia, pax & gaudium in spiritu sancto. Vbi iusticia intelligatur de toto beneficio filij Dei, quod in hac uita inchoatur fide, id est fiducia Mediatoris, qua sumus iusti seu accepti Deo, & qua filius Dei uiuificat credentes, ostendit patrem, & dat spiritum sanctum. Pax significat reconciliationem cum Deo, sicut Paulus alibi ait, Iustificati fide pacem habemus, id est, habentes fidem iam sumus reconciliati, liberati ab ira & a damnatione, ac placemus Deo. Hanc pacem comitatur læticia in corde acquiescens in Deo, quæ a spiritu sancto accenditur. Et hæc non foris ostentantur, sed intus in conscientia sentiuntur.

V.

Gubernatur autem illud non legibus forensibus uel armis, sed per ministerium Euangelij, sicut in Psalmo 2. dicitur, Prædicabo de præcepto, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me & dabo tibi gentes hæreditatē tuā. Et Esa. 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam & clausis apertionem. Et Christus ablegans discipulos suos inter omnes gentes, tale dedit eis mandatum, Ite in orbem uniuersum & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, per hoc medium uocantur homines ad agnitionem Christi.

VI.

Et spiritus sanctus per illud efficax est, ideo ad Rom. 1. dicitur, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et 1. Cor. 3. Vocatur ministerium spiritus, quia spiritus S. testificatur in Euangelio de Christo, glorificat

A 3 eum,



eum, monstrat eius beneficia, docet & illuminat mentes, & accendit fidem, vt cognoscant hūc regem & saluatorem, & eius beneficia sibi applicent, efficit ueram consolationem ac læticiam, renouat corda, excitat bonos & sanctos motus congruentes voluntati Dei, vt timorem, dilectionem, inuocationem gratiarum actionem, cōstantiam in confessione, patientiam in cruce etc. Ita per uerbum & spiritum S. regnat Christus in credentibus.

VII.

Ac solus filius Dei huius regni caput est, necq; aliud in terris constituit, sed ministrorum opera ad propagandum illud inter omnes gentes utitur, sicut Paulus ex Psalm. 68. affirmat, Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus, alios quidem apostolos, alios uero prophetas &c. ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi.

VIII.

Ab hac uera sententia de spirituali regno

regno Christi sæpe deflexerunt vani
homines, sicut olim Iudæi somniarunt
regnum Messia fore mundanam poli-
tiam, & nostris temporibus Anabap-
tistæ iactant, regnum Christi in terris
tale constituendum esse, in quo sancti
dominentur, & armis deleant omnes
impios. Ideo fit vt vilescant illis spiritu-
alia beneficia Christi, & cadant exerci-
tia fidei, ac fileat ministerium.

IX.

Hæc falsa imaginatio refutatur per
petuo consensu doctrinæ propheticae
& Apostolicae.

X.

Euangelium clare docet regnum
Christi esse spirituale, & afferre bona
spiritualia & æterna, sic enim Christus
inquit Ioh. 17. Hæc est uita æterna, vt
cognoscant te verum Deum & quem
misisti Iesum Christum. Rom. 8. Chri-
stus est ad dexteram Dei & interpellat
pro nobis. Ita regnat Christus, quod in
Euangelio se & patrem a quo ipse mis-
sus est, nobis patefacit, & est mediator
apud æternum patrem, exaudit inuo-
cantes

A 4

cantes

cantes, sanctificat & gubernat eos spiritu sancto suo.

XI.

Esaías cap. 53. inquit, Ponet animam suam hostiam pro peccato. Et Daniel cap. 9. Christus occidetur, ergo non habebit dominationem corporalem in hac vita. Et in Psal. 110. Esa. 9. Daniel. 7. dicitur, Christum regnaturum esse in æternum, sed nulla corporalis potentia est æterna, quare certum est conciones prophetarum intelligendas esse de spirituali regno Messia.

XII.

Imo prophetae prædixerunt hoc regnum perpetuo oppugnandum esse ab impijs, et eos qui illi adiuncti sunt fore sub cruce in hac vita, Sicut in Psal. 2. scriptum est, Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in unum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Et Daniel 11. aperte vaticinatur de persecutione ante nouissimum diem, Et docti in populo docebunt plurimos & ruent in gladio, &c. De ærumnis Ecclesie etiam dicit Esaías cap. 30, Dabit vobis panem

panem arctum & aquam exiguam, &
non auferet vltra a te doctorem tu-
um. Quare regnum Christi non erit
mundanum imperium.

XIII.

De Apostolis etiam certum est, eos
a Christo missos esse non ad occupan-
da imperia mundi, sed ad docendum
Euangelium, sicut Marci 16. scriptum
est, Ite in mundum vniuersum & præ-
dicare Euangelium omni creature, qui
crediderit & baptizatus fuerit saluus
erit. Et Ioh. 20. Sicut misit me pater ita
ego mitto uos, non autem missus fuit
filius Dei a patre ad inchoandum cor-
porale dominium, quare discessit a tur-
ba, quæ uolebat eum creare in regem.
Et coram Pilato confitetur, regnum
meum non est de hoc mundo. Et Pau-
lus de Apostolorum officio inquit, Ar-
ma militiæ nostræ non sunt carnalia,
sed potentia Deo ad demolitionem mu-
nitionum, quibus consilia demolimur,
& omnem celsitudinem quæ extollitur
aduersus cognitionem Dei.

2. Cor. 10

XIIII.

A 5

Quare

Quare statuendum est, regnum Christi multo esse præstantius reliquis imperiis mundi, & propter spiritualia & æterna bona longissime ab eis discernendum esse.

XV.

Primum potestas politica regit & coercet externa membra vt sint in officio, sed Christi regnum non tantum gubernat externos mores, sed arguit & sanat corda, vt Esa. 61. dicit, Vt mederer cõtritis corde. Secundo, potestatis politicæ summa beneficia sunt externa disciplina & pax corporum, at huius regni beneficia sunt remissio peccatorum, iusticia, & pax conscientiarum coram Deo, spiritus S. & vita æterna. Tertio, alia regna munita sunt opibus, & armis defendunt subditos, & contumaces puniunt vi corporali seu gladio: at Christi regnum gubernatur voce Euangelij, per quam Deus est efficax, & multos regenerat ad vitam æternam, & punit contumaces non vi corporali, sed verbo, videlicet legitima excommunicatione. Quarto, præsidia regni

regni politici sunt exercitus & opes ne-
cessariæ ad domesticā gubernationem,
ad custodiam pacis, & ad bella geren-
da, sed regnum Christi non est muni-
tum humanis & visibilibus præsi-
dijs, sed regitur a filio Dei, & habet custo-
des Angelos. Quinto, imperia mundi
habent suos terminos, sicut de Babylo-
nico, Romano & alijs cōstat, sed Chri-
stus dominatur a mari vsq; ad mare, &
a flumine vsq; ad terminos orbis terra-
rum, Psal. 72. Postremo, omnes politia-
habent suum finem, sicut summorum
imperatorum interitus ostendit: at hu-
ius regni nō erit finis, quia rex est æter-
nus, & populo suo dat vitam æternam,
quæ hic inchoatur & post resurrectio-
nem consummabitur.

XVI.

Nec tamen regnum Christi tollit im-
peria mundi in hac vita, quæ a Deo et-
iam propter hanc præcipue causam or-
dinata sunt, vt seruiant Christo, sicut in
Psal. 24. præcipitur, Attollite portę ca-
pita vestra &c. Id est, imperia mundi et
Respublicæ patefaciatis iter venienti
regi

regi gloriae Christo, vt ingrediatur, vt
illucescat vobis Euangelium, & assit
inter vos Christus atq; sit efficax, ac fa-
ciat vos hæredes vitæ æternæ.

XVII.

Et mandatum est omnibus homini-
bus, vt sese huic regi subijciant eiq; ser-
uiant, sicut æternus pater sua voce de
coelo præcipit, Hic est filius meus dile-
ctus in quo mihi complacuit, hunc au-
dite. Et in Psal. 2. Osculamini filium ne
quando irascatur, & pereatis in via.

XVIII.

Sunt autem ciues regni Christi, rena-
ti ex aqua & spiritu sancto, obœdien-
tes ipsi, Hoc est, fide agnoscentes hunc
Mediatorem & liberatorem, & appli-
cantes sibi promissionem Euang. & in
ea acquiescentes. In his enim Christus
per verbum & spiritum sanctum re-
gnat, eosq; sanctificat & viuificat.

XIX.

Cultus qui huic regi a subditis præsta-
ri debent sunt fides, spes, inuocatio, gra-
tiarum actio, confessio, obœdientia in
vita & vocatione, patientia in ærum-
nis

nis & alij vicini motus, de quibus præcipit Psal. 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Et Zacharias in suo cantico inquit, Seruiendum esse huic regi in sanctitate & iusticia omnibus diebus vitæ nostræ. Et Paulus ad Rom. 12. Offerte corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo, λογικὴ λατρεία.

XX.

Et qui huic regi se subiiciunt, ingenita bona, quæ supra etiam commemorata sunt, consequuntur, quia remittuntur eis peccata, reputantur iusti, donantur spiritu sancto, qui eos voce Evangelij sanctificat & viuificat, exaudiuntur in inuocatione propter Mediatorem, teguntur & conseruantur contra furores diabolorum & impiorum hominum, & resuscitantur ad vitam æternam. Hæc summa beneficia paucis verbis complectitur propheta in Psal. 2. inquit, Beati omnes, qui confidunt in eo.

XXI.

Hoc regnum Christi de quo hætenus

nus differuimus, inchoatur in hac vita
spiritu & fide, In altera vero reuelabi-
tur 1. Cor. 12. durabit perpetuo, ac luce
& gratia cōplebitur. Tunc enim filius
tradet regnum patri, 1. Cor. 15. hoc est,
non erit regnum per ministerium Eu-
angelij, sed Deus immediate erit om-
nia in omnibus beatis, immediate com-
municabit se eis, & suam sapientiam,
iusticiam, & læticiam, & agnoscent
eum beati a facie ad faciem, vt 1. Cor.
4. dicitur, & fruuntur his bonis in om-
ni æternitate.

XXII.


Et illud regnum quod in altera vita
expectamus, vocatur regnum glo-
riæ propter summam iusticiam, Esa. 1.
Populus tuus omnes sancti erunt. Et
propter perfectissimã libertatem quã
expectant solite creature Dei, Rom.
8. Tunc enim libertas filiorum Dei nul-
lis impedimētis turbabitur. Et propter
admirabilem omnium spiritualium ac
æternorum bonorū abundantiam, cum
Deus erit omnia in omnibus, de qua
Psalm. inquit, Satiabor cum apparue-
rit

rit gloria tua. Et propter gloriosam
maiestatis diuinæ præsentiam & con-
templationem, quæ nullis temporum
interuallis obscurabitur.

X X I I I.

Cum autem ipse filius Dei docuerit
ac iusserit nos orare, Adueniat regnū
tuum, singuli pijs ardentibus votis quoti-
die petere a Deo debent, ut ipse benigne
in terris conseruet doctrinā Euangelij
sui, & per eā sibi colligat Ecclesiā, quæ
regi suo Christo seruiat confitendo &
celebrando eum. Ac clementer repri-
mat furores diabolorum, qui mēdacijs,
tyrannide & varijs scandalis ac confu-
sionibus incrementa huius regni impedi-
re, & illud deformare ac delere conan-
tur. Ac tandē per gloriosum suum ad-
uentum, Ecclesiā suā ex omnibus malis
liberet, et resuscitatam a morte trans-
ferat in vitam æternam, in qua sempit-
terna consuetudine ac bonitate sui re-
gis fruatur. Huic regi seculorum, im-
mortali, inuisibili, soli sapienti sit ho-
nor & gloria seculis infinitis,


A M E N.



154169

X 1387286


235.



JOHANNES
DE...

159





3

De regno Christi
CAPITA AD DISPVT-
TANDVM PROPOSITA IN
ACADEMIA LIPSICA,
AB
HENRICO SALMVT
THEOLOGIAE DOCTORE.



AD DIEM XIII. IULII.
ANNO IESV CHRISTI,

M. D. LXIII.